DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ; DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XVI. FEBR.

M. IOANNE DE BOVRGES, Doctore Medico, moderatore.

An certus vnus grauiditatis index motus?

NON sibi tantùm nata est mulier, sed viro comes addita, quæ vitæ molestias ac tædia mulceret, sed proli suscipiendæ, alendæ, pariendæ dicata. Suscipit & gestat vtero, parte superfluâ si indiuidui, si speciei ratio habeatur pernecessariâ. Quocumque aliò virile semen exciderit corrumpitur, illic fœmineo permixtum vim antea sopitam promit διαπλαστικὴν, quâ tunicæ primùm χορίον & ἀμνίος effinguntur, mox delineantur partes ἐμβρύου simul omnes, sensim & successiuè perficiendæ, ocyùs quæ facultati naturali subseruiunt, quæ vitali & animali seriùs. Hinc antè fœtus viuit more plantæ quàm animalis, antè nutritur accepto per vmbilicum quasi radicem à matre, cui tanquam arbos terræ cohæret, alimento, quàm vllo cieatur motu.

CVNCTA hæc vno grauiditatis nomine comprehensa dum in abdito peraguntur, nonnullas in aperto prægnans ipsa patitur mutationes latentis in vtero fœtus indices. Vteri os, quod antè hiabat, exquisitè conniuet. Veneris appetentia languescit. menses deficiunt. indurescunt succóque lacteo turgent mammæ. abdomen intumescit. pallore facies, imò & lentigine deturpatur. excauantur oculi, eorúmque τὸ λευκὸν πελιδνότερον, aspectus languidus apparet & effœminatus. proba respuuntur edulia, appetuntur absurda. lotium vesica rubens & ignitum non sine dolore profundit. Quæ sanè simul concurrentia nonnihil, singula nihil prorsùs de grauiditate testantur.

SIGNORVM διαγνωστικῶν ea certa ne reputa, quæ rei significatæ nec omni, nec soli conueniunt. Fallax præ cæteris οὐροσκοπία, fida quidem satis eorum quæ venoso & arterioso genere, non eorum quæ vtero continentur internuntia. nec certius ex anorexiâ picâque, vacuis nonnullis quàm grauidis magis familiari, indicium. subiectis humoribus concolor extima facies εὐχυμίαν tantùm denotat aut κακοχυμίαν, quâ prægnantem omnem laborare qui ait, haud aberrat minùs, quàm qui negat cæteras ei pariter obnoxias. De oculis ita cense, vt reliquum corpus valet, sic & ipsos. Hydrops & grauiditas se inuicem quotidie mentiuntur, & oculatioribus imponunt; imponit & γαλακτοποίησις, quam non ita raro puellæ κυαμίζοντες, quin & viri quoque ipsi aliquando in se experiuntur. Ad sistenda καταμήνια (quæ nonnumquam vterum gerentibus, illæso etiam fœtu, feruntur) æquè possunt ac ipse conceptus, sanguinis paucitas aut crassities, viarúmque ἔμφραξις aut στενοχωρία. Non desunt his quoque temporibus Iuliæ, quæ vectorem onustâ naui admittant lubentissimè. Hinc ἐπικύησις nonnisi dehiscente post conceptum vtero possibilis.

FIT animal id quod vtero concluditur vnius, ciúsque rationalis, animæ accessione. quo id tempore incertum; certum eam sibi organa propriis edendis functionibus idonea fabricari. Functionum naturales & vitales Physici vel perspicacissimi sensus effugiunt. vnus inter animales manifestus motus, quo, vnà & sensu, ζωότης innotescit, non definitur. Vtroque carent plantæ, etiam quæ audit sensitiua. Vtroque præditum omne solúmque animal, iucunda tristiaque sensu percipit, motu hæc declinat, illa prosequitur. Ad hoc triplici instrumento opus, cerebro quod imperet, neruo imperium deferente, & musculo qui obsequatur. His instructus fœtus organis, illicò vim antè otiosam ad actum promouet αὐτοκινητικὴν, quâ is, manifesto & anodyno matris sensu, in omnem vterini loci differentiam blandè se contorquet.

HAC maximè notâ verus conceptus distinguitur à molâ, quæ pariter vt ille ἐπιμήνια, lunarem motum numquam sequuta, supprimit, mammas tumefacit, lumbos grauat, subuertit stomachum, ventrem attollit, ast ἀκινήτως, aut si quis in ea percipitur motus, is nec spontaneus nec ordinatus, sed à proprio pondere grauis & molestus in eam tantùm partem, in quam mulier decumbit, conuertitur. Vt igitur in morborum diagnosi, maior vni signo παθογνωμονικῷ debetur fides, quàm συνεδρεύουσιν aut ἐπιγενομένοις compluribus: sic ad imprægnationem concludendam, quæ circa mulierem comparent notæ infidæ omnes, ni ad has tandem αὐτόματος accedat motus, quo vno se infans ipse tanquam proprio & indubitato prodit indicio.

Ergo certus vnus grauiditatis index motus.

Proponebat Lutetiæ ANTHONIVS DE SARTE Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LI.

DOMINI DOCTORES DISPVTARI.

M. Isaac Renaudot.
M. Anthonius Morant.
M. Ioannes de Sainct Yon.

M. Petrus Regnier.
M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.

M. Ioannes de Bourges Scholarum Professor.
M. Franciscus Boujonier.
M. Franciscus Mandat.